

imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere, et (quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est), memoriam nostri quam maxime longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria, fluxa atque fragilis est; virtus clara, aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit: vine corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet? Nam et prius, quam incipias, consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

II. Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiamsi tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero, quam in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii et Athenienses, coepere urbes atque nationes subigere; lubidinem dominandi causam belli habere; maxumam* gloriam in maxumo imperio putare: tum demum periculis atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum, ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam sicuti peregrinantes transiere: quibus profecto, contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque juxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere, et frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, praeclari faci-

* Салл. часто употребляет и вмѣсто *i*.